

6
Concertatio Academica,

DE RERVM CATEGORIIS.


*Aberudito artium liberalium, &
Philosophia Baccalaureo*

LVCA FANNINI GORITIENSIS,
PRO SUPREMO DOCTORATVS PHILOSOPHICI GRADV PRO-
merendo in Vniuersitate Græcen-
si proposita in diem.
Iulij.

PRÆSIDE
R. P. GUILIELMO LAMORMAINI E SOCIETATE IESV
*Philosophie Doctore & Professore
Ordinario.*

GRACII STYRIA,
Excudebat Georgius Widmanstadius.

M. D. C. IV.



Ad
Bibl.
Acad.
Land.

SERENISSI-
MO ET POTENTISSI-
MO PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO FERDINANDO ARCHI-
DVCI AVSTRIÆ, DVCI BVRGVN-
DIÆ, STIRIAE, CARINTHIAE, CARNIO-
LAE, &C. COMITI TYROLIS, GORI-
TIAE, &C. DOMINO SVO CLE-
MENTISSIMO.

Fælicitatem immortalem.

SI Poeta Musis ingenui sui labores, Mar-
tig milites gloriam fausto Marte pa-
ratam consecrant; si Veianius Horati-
anus arma figit ad postem Herculis; si
Philosophi suas lucubrations Virtuti consecrant; ego
Serenissime Princeps Concertationes meas Academ-
icas ut ad tuae Serenitatis pedes abiiciam, religio-
sasq; faciam, oportere iudico. Nec iste certè leuus ani-
mus. Laudem Virtuti debent Philosophi, que si nihil
est aliud, quam in se perfecta, & ad summum perdu-
cta natura; tu mihi Virtus: vel si nimium dico; sic
mihi Virtutis compos videris; ut unum propemo-
dum sibi depositat: & quod Vates, ut adhinciret stili-
conis fama, dixit:

Sparguntur in omnes,
In temista fluunt, & quæ diuisa beatos
Efficiunt, collecta tenes:

merito de tua Serenitate dici posse existimemus. Quis enim artem viuendi Prudentiam in te desideret? Cautus es, & peracutus, ut ille Lynceus; ad bona deligen-
da, & rei scienda contraria sic exacuis aciem ingenij,
ut miremur. Prudentia nunquam in te à suo mu-
nere quiescit, vel feriatur: Et quemadmodum Iouis
oculus, sic illa quietem nunquam capessit, nunquam
dormit. Prudentiae adminiculis moliris quicquid
moliris: & sicut à Grais Prudentiae Deabus adiutus
Perseus Gorgonis os pulcherrimum cinctum anguis
cruentauit: sic Prudentiæ Princeps, instructus callidos
angues, Gorgonemq; id est, sapientem calliditatem, &
callidam sapientiam probibes profligas, tollis: Prudentia
tota tua est, que corpus, que viscera, que medullas
adscedit, & infedit; & omnibus corporis partibus oculi-
los, luminaq; sic ingessit, ut totus oculatus, instar Ar-
gisis, & illuminatus. Prudentia tibi in admini-
strandis prouincijs opitulatur; & licet dominatus la-
boriosus sit, & imperium graue (quod Tiberius Impe-
rator belluam vocauit, & cuius gubernacula dum te-
nuit, lupum sibi videbatur auribus tenere) paru tamē
negotij tibi facessit, qui Prudentiam in Imperij socie-
tatem sic vocasti, ut trahilibus illam tibi clavis affi-
xeris. Iam quia quicunq; prudens est, temperans est,
nec perturbatur sed semper rationis ductum sequitur:

nec

nec aliter animi motus frangit, quam Etesiarum flatus calorem temperat: non est quod demiremur, cum oculis, cum auribus, cum sensibus usurpamus tuae Serenitatis mores sic moderatos, ut oleo nobis tranquilliores esse videantur. Prudentiam, Temperantiamq; exornat Iustitia; quæ Cato, Zeleucus, Fabritius, aliq; claruerunt; inter quos Principatum obtines. Iustitia tenacissimus Racones ille, cuius filius cum culpam designasset, quæ familiam propemodum ignominia notasset; homini dicam impegit, & ut in mortem rapere tur enixè fuit iudices obtestatus. Rogatus ab Artaxerxe, utrum filij mortem tolerare posset: respondit, maximè: quoniam in horto cum fruticantium laetucarum surculos (ait) amaros deputo demetog; laeteca mater nihil persentiscit doloris. sed umbris iustitia fuit usus: Serenitatem tuam germanus color virtutis exornat: cuius illa vox est: Iustitia se mihi quidem custodi, non tamen Domino commisit. Quid iam de excellentis animi magnitudine? Dicant, contra quos intrepidus in certamen pro Christo descendisti, dicant, quorum auribus voces illæ circumsonuerunt, quibus testabarisi, nunquam futurum, ut tibi vel diuitiae, vel prouinciae, vel ipsa vita potior, & antiquior sit Religione Catholica. Ne diutius detineam, ad unguem proprio, Serenissime Princeps: &, quem primo tuis Musicis inserere; deinde, dum Poetarum, Oratorum, Philosophorum viridaria perlustraui, liberalissimè fuisti dignatus

natus adiutare, impendio rogo, cum alio gratitudinis
argumento ob meann virium imbecillitatem re-
spondere nequeam, Philosophiae meae labores, ut tua
Serenitas Serenissima fronte suscipiat. Istud si Di-
uini Numinis ope assecutus fuero, sic gratum sum ha-
biturus, ut incredibili me donatum esse beneficio mihi
sim persuasurus; cuius quidem ut gratiam referam,
nunquam sperabo; memoria tamen erit immortalis.
Ex Academia Græcensi X. Calend. Iulij, Huma-
ne Salutis, Anno 1604.

Vestra Serenitatis:

Humillimus Cliens

Lucas Fanini.

PRIMA CONCERTATIO De Deo, & categorijs in communi.

I. Positio.

VIC Q VID veram, & absolutam Entitatis meretur appellationem. Aut necessario existit, & a se; Aut contingenter, & ab alio. **P**rius caput constituit beatum illud, unicumq; rerum principium primum, ultimuq; finis DEVIS, sine quantitate maximus, sine qualitate optimus, sine tempore eternus; Posteriorius, quæ ab ipso in pondere, mensura, numero procreata sunt, & procreari possunt. Quæ Philosophi sapienter, distinctæ cognitionis gratiâ, in varios ordines (categorias vocant) distribuerunt.

II.

Categoria est supremi alicuius generis, & eorum, quæ sub ipso sunt, series naturalis, atq; dispositio: quæ licet operationem intellectus consequatur: non est tamen Ens rationis, si vel unicum actu existat à parte rei, vel existere possit individuum.

III.

Vnam eandemq; à parte rei Entitatem diuersimode spectatam in pluribus locari posse ordinibus fatetur ipse philosophus nosq; subscribimus addimusq; ne cum quidem quicquam commissurum absurdum, qui rem unam, unâ in substantia, alia ratione consideratam in aliqua Accidentium serie, vel in duabus eiusdem generis speciebus colligatur.

IN

III.

IN Categorij directio & perse duntaxat incom-
plexa, vniuoca, nominibus concretis significata reponuntur,
vniuoca dico, quorum nomen idem est & secundum il-
lud ratio substantiae eadem Aequiuoca quorum no-
men idem quidem est, sed ratio substantiae, aut om-
nino diuersa, vt casu æquiuoca, aut partim eadem,
partim diuersa, vt analoga: quorum hac attributionis,
DEVS & Creatura in voce & ratione entis, illa pro-
portionis, vt eadem; substantia item & accidens in no-
mine & ratione entis procreati.

CONCERTATIO SE-
CVNDA DE CATEGORIA
substantiae.

V.

Genus illud rerum, quod eximum pra cate-
ris, ac propè diuinum sibi vendicat existendi
modum, quod ceterorum omnium veluti ba-
sis quadam est, ac fundamentum, quod vnu-
cen Regem, ac Dominum cetera spectant, & intuentur,
cui generatio velut anteambulo, ac prodromus, cui cetera
forma adscititia tanquam pedissequa, cui ut verbo dicam,
quicquid vspianum est, militat, & ancillatur: substantiam
consueimus appellare. Hac non modo continentur qua-
tuor illa notissima elementa, & qua ex his conflantur mi-
xta tam animata, quam anima expertise, cœli quoq; in-
gentes fornices: sed etiam ab iniurijs corporum libera, tem-
pore senescere, & loco circumscribi nescie, siue supra cœlos
optimam, siue alibi aut felicem, aut suo demerito miserabi-
lem du-

lem ducant vitam: toto perseverantes aeo Mentes, ac Intelligentia. Quibus sane rebus omnibus hoc competit uniuersim, quod substantia sint, quod natura, inquam, constent, creata quidem, ac finita, completa tamen, & per se existente: propria ceteroqui natura, moribus, ingenio, loco, statu, conditione, DE VS bone, inter se se quam sunt dissimiles?

VII.

Ex quo fit mentes creatas, sive intelligentias omnes (quas vere, & propriè à DEO creatas esse uero) ex genere, & differentia, ex esse, & essentia, ex essentia, & eccentricitate, quæ rationis: ex natura, & subsistentia, qua modalis etiam est ex natura rei compositione, conflatas esse.

VIII.

Substantijs naturalibus, seu corporibus de serie substantia omnibus hoc uniuersitatem competit essentialiter, quod velut extremis re, & essentia: Materia, subiecto quantitatis, ut potentiali, & Forma actuum principio, ut determinante parte, & Modo substanciali, velut utriusq; vinculo, ab utroq; distincto, constent.

VIII.

Corporum simplicium alia corruptibilia, vt elementa quatuor: Ignis, tum qui apud nos, & in terra visceribus, crassus, & impurus, tum qui luna proximus, defecator: Aër in tres diuisus regiones, quarum summa Cometarum, non etiam galaxia, infima ventorum, ignis lambentis: media nubium locus est: Aqua: Terra, ex quibus potentia solum inexistentibus, cetera componuntur, ipsa autem ex alijs minime: alia incorruptibilia, Cœli.

IX.

Sphæra mobiles materia eiusdem omnes, forma diversa rationis constant. Singula astra cœlorum ita crassi-

B. oræ sunt

ores sunt partes, ut & inter se, & ab orbibus suis discrepent
essentialiter.

X.

Mixtorum infimum, quod emortuum languet: la-
pides, metalla ut aurum, quod è sulphure; & Mercurio, ar-
tis Chymicae directione, gigni posse non diffitemur: Nobilissi-
mum quod vita pollet: horum autem Homo, animo pra-
ditus indivisiibili, ac immortali.

XI.

Viuere dico, qua sese, etiam cum sunt in statu, locoq;
sibi congruenti, mouere possunt: & anima constant: unde
anima, & τ' αερού ditta, est actus primus corporis
physici organici potentia vitam habentis & quo pri-
mo vivimus in quo cum plantis sentimus in quo cum om-
nibus mouemur, in quo cum animalibus quibusdam no-
bis conuenit & intelligimus quod homini, rerum cate-
rarum cuidam quasi Deo, est peculiare.

CONCERTATIO TER- tia de Quantitate.

XII.

NIVERSALIS corporis affectio, ab
eo re distincta, est Quantitas, ens natura
sua in ordine ad se extensum, & eius ex-
tentio, molisq;, quam cum impenetrabi-
litate & ubi quantitatio confundimus, prima radix.

XIII.

Entium extensorum illud continuum est, quia par-
tes eius termino communi sunt connexae, ut linea unica,
superficies gemina, corpus triplici ratione extensum, ac di-
uisibile:

uisibile: Illud discretum, ut Numerus linearum, superficierum, corporum. Locus, motus, tempus, oratio aut quantitas non est, aut à recentiis diversa non est.

XIV.

In corpore (corpus materia prima coeum est) determinato superficies, in his linea, in lineis actu sunt puncta, tam continuantia, quam terminantia, & præter hac partes extensa, realiter inter se, & ab indivisibilibus distincta.

XV.

In continuo finito (cuiusmodi est quodcumq; existit continuum) partes determinate, & aquales uni certa, incommunicantes non sunt nisi finita: communicantes autem proportionalesq; actu sunt infinita.

CONCERTATIO

Quarta de Categoria qualitatum.

XVI.



VALIDATEM in scholis vocamus peculiare quoddam accidentis absoluti genus, quod neq; extensionem natura sua postulat, & actioni passioniq; (qua forma sunt imperfectæ & via quadam ad alias perfectiores) & ubi durationibusq; rerum contra distinguitur: à quo ratione quadam peculiari quales denominamur, quodq; in corporibus fere actum substantiam consequitur, estq; similitudinis aut dissimilitudinis fundamentum.

XVII.

Hoc genere continentur in primis ea qualitates, quibus substantiae primò accidentaliter constituantur aptæ, ut in aliquo genere causa influant esse in aliud, & uniuersè generico Potentia vocabulo significantur: sive ea sit receptiva, qua materia, sive informativa, qua actui seu formæ semper, sive activa, qua efficienti quandoqz identificatur, alias non.

XVIII.

Facultas activa excurrit latissimè. Complectitur enim lucem luminis uniuocam, lumen caloris causam æquiuocam: Virtutes elementorum, Calorem igni & aëri, Frigus aqua & terra, Humiditatem aque & aëri, Siccatem terra & igni naturaliter constitutis, gradu perfecto competentem; Posteriora dñæ, fateor, Aristotelij quandoqz, & rectè, passim dicuntur: Grauitatem & Lenitatem, quibus grauiâ deorsum, levia feruntur sursum: Impulsum, qui proiectis imprimi solet: Facultates Vuentium multas & varias: occultas deniqz, diuersorum corporum vires, ut sunt, quibus orbis superior agit in nostratem, qua succinum paleas, magnes ferrum ad se pellicit, quaferrum in stratiocameli, veratrum in coturnicis, alia in aliorum animalium ventriculo, breuissimo tempore, admirabiliter elixantur.

XIX.

In ceteris animalibus perfectis triplicis, in homine quadruplicis generis facultas activa solet assignari: Naturalis una, sub qua complector Nutritiua, qua pro munere habet alimentum transmutare, & partes, actione caloris delapsas, restaurare: Auctricem, qua easdem, noua molis appulsa, augere: Generatiua, qua alind eiusdem naturæ individuum procreare: Altera Vitalis, cuiusmodi est, qua

est, qua spiritus in sinistro cordis ventriculo, varie dispensandos, fabricatur, que Cor arteriamq; alternatim contrahit, & diducit, pulsusq; efficit, interna habitudinis argumentum.

XX.

Tertijs generis facultas Animalis appellatur; continetq; sensum externum quintuplicem Visum, Auditum, &c. Internum, re unicum, ratione varium: Communem, quo sensibilia omnia presentia, Phantasmam, qua sensitio absentia, Aestimatiuam, qua presentibus Memoratiuam, qua etiam absen:ibus sensibilibus non sensitio percipere dicimur, & Imaginatiuam, qua non composita componimus, fingimus impossibilia.

XXI.

Sensum comitatur appetitus, quo congrua prosequimur, & Cupiditas, dissoni sensui refugimus, & Ira, sensu ror appellatur; sensum, & appetitum vis loco motiva, alia in avibus ad volandum, alia in piscibus ad natandum, alia in animalibus, qua supra, vel intra terram degunt ad ingrediendum, vel rependum: qui motus omnes vocantur animals, & ad eos exercendos requiritur cognitio & actus appetitus & ut quipiam sit extra animal immobile, quod resistat. magis placet opinio statuenitum respirationem, absolute loquendo, arbitriatum esse motum.

XXII.

Vis loco motiva potissimum residet in musculis, & nervis, hisq; mediantibus in medulla dorsi, ac cerebro in quo sunt spiritus animales, & a quo ducunt originem: Appetitus in corde: sensus interni in cerebro: Visus in humore Chrystallino: Auditus in myringa, vel aere innato: Olfactus in carunculis papillaribus; Gustatus in lingua & palato; Tactus in plurimis animalis partibus.

XXIII.

Quartum genus constituit facultas rationalis, homini sic propria, ut virtuti sit affinis Angelica, comprehenditq; Intellectum, qui linceus cum sit, peruidet omnia, remota, proxima, que latent, que patent, qua domi fouet ipse, qua foris vagantur; idq; aut simpliciter intuendo, aut ea conferendo, iudicandoq; aut veloci, & peracuto animi discurso ratiocinando: Voluntatemque bonum libere (si illud DEVS clarè visus non sit) adamat, malum intellectum detestatur: & eam Vim, qua anima, sive immersa materie, sive libera, se, & corpora, ob aliquem finem, mouet. Secundum has de facultatibus Angelorum recte ratiocinabere.

XXIV.

Secundam huius Categorie classem faciunt qualitates oœ, qua & in dictis potentij recipiuntur, & sensum nullo percipi queunt. Eo, si natura sua facile, dispositiones pressæ: ut sunt sensibus externis ab obiectis impressa similitudines, actionum immanentium termini, &c. si difficile amoueantur à subiectis, habitus nuncupantur: cuiusmodi sunt sensus interno, & intellectui insculpta (ad cognoscendum necessaria requisita) rerum simulachra, & alia quædam ab actibus in facultate effecta, & relictæ forma, potentij facultatem posthac facile operandi tribuentes: illis enim iuxta philosophum in eliciendis actibus cooperantur.

XXV.

Tertius qualitatum ordo ijs constat, que sensus externos sic immutant, ut propria sint eorum obiecta. Lumen quidem & colores, qui visu mediante specie, soni qui Auditu, odores, qui Olfactu, quandoq; per se, alias per speciem, sapores qui Gustatu, prima qualitates, que Tactu percipiuntur.

Lumen

XXVI.

Lumen est actus perspicui, quia perspicuum est; Color, qualitas à lumine realiter distincta, motuum est perspicui in actu. Quia hic è primis oritur; non in patente solùm rerum cruxa, sed in abditis etiam mixti visceribus delitescit.

XXVII.

Sonus, ex acri corporum sublunariorum collisone profectus, recipitur in aëre, aqua, igne. Alius acutus, qui brevi tempore auditum acriter mouet; Gravis alius, qui parum, Vox, quia sit ab anima cum imaginatione aliquid significandi, solis nec omnibus animalibus. Sermo, quo rationis conceptus explicantur, articulatus esse debet; ad sermonem elegantem, lingua, & palati temperies dentiumq; compositio, facit plurimum. Echo aut soni, aut simulacrum soni est reflexio.

XXVIII.

Sunt figura, ac forma qualitas, que in hac serie domicilium habeat, iure dubitant aliqui. Fidei, Spei, Charitati, Characteri diuinorum Mysteriorum quibusdam animo imprimi solitis, ita hic sedem assigno, ut solis earum translationem Theologis putem connuenire.

CONCERTATIO

Quinta. De Relationibus.

XXIX.



ELATIO (accidentibus absolutis contra distincta) accidens est reale, cuius totum esse, est id, cui vel inest, vel ut inexistentis concipitur, ordinare ad aliud quod actu

actu existit: à termino ente absoluto ex natura rei, à fundamento etiam absoluto ratione solum distinguitur.

XXX.

Ratio fundandi est *Vnitas*, & *Multitudo*, *Potentia*, & *Actio*, id est causalitas: Prima pro ratione unitatis & multitudinis, varia est: Ratione conuenientiae, & disconuenientiae in essentia, identitatis, ac diversitatis: in gradibus intensonis, similitudinis, ac dissimilitudinis: in partibus extensionis, equalitatis, & in aequalitatis relatio emerget: Ratione posterioris, effectus causam semper: causa (creata) rursus effectum intuetur.

XXXI.

Si relationem excipias nullum est ens absolutum, quod relationem aliquam ad aliud fundare non possit.

CONCERTATIO SEXTA

De Actione, & Passione.

XXXII.

ACTIONIS efficientis est causalitas, exercitium, inquam, virtutis actina: alia est transiens, immanens alia: illa si cui inest (creatio namq; nulli inest) passo inest: huius idem est principium materiale cum effectuorum aliquo..

XXXIII.

De actionis naturalis essentiali diversitate, & unitate, recte ex terminorum unitate, & diversitate philosophamur.

XXXIV.

Generatio Aristotelica est totius in totum mutatio: nullo remanente sensibili: ut subiecto eodem: Vnuentum, est pro-

est processio viuentis à viuente in similitudinem nature.

XXXV.

Nutritione substantia alimenti essentialiter à nutriendo diversa in aliti substantiam convertitur: Augmentatione quantitas alimenti: quantitati viuentis continuatur. Quamobrem re, essentialiter, differunt.

XXXVI.

Mixtio, quæ nisi ex duorum dissimiliorum certamine oriri non valet, miscibilium alteratorum est unio.

XXXVII.

Alteratio, generationis prodromus, est passio, seu motus ad qualitatem sensibilem medium, vel extremam, que intendi potest. Intenso sit non gradus ad gradum eiusdem speciei accessione:

XXXVIII.

Latio acquisitionis ubi predicator, ita ut, dum subiectum localiter successione monetur, intrinsecum sortiatur ubi successuum, per quod spacio se ampliori praesens constituantur.

CONCERTATIO
SEPTIMA
De Vbi.

XXXIX.

BI, realis quidam modus absolutus intrinsecus rei, qua per illud alicubi esse dicitur, duobus aliis, definitio immaterialium, & circumscriptione propriæ quantitatis exoneratur. Realiter distincta entia distinctis realiter modis constituuntur alicubi.

C

CON-

CONCERTATIO

OCTAVA

De Quando.

XL.

DURATIO est permanentia rei in esse acceptio, querationis distinctione solum ab existentia, regi durante diuersificatur. Eternitas, increata duratio, interminabilis, inquam, vita tota simul, & perfecta possessio, huc non spectat: Creata spectat omnis.

XLI.

Hac alia est permanens, rerum permanentium, cuius partes simul existere possunt: successiva alia, partibus sibi inuicem succedenibus constans ut tempus.

XLI.

Permanens corruptibilium corruptibilis est, incorruptibilem, ut materia prima, anima rationalis &c. incorrumpibilis, & dicitur aeternum, quo etiam incundissime

Beati post resurrectionem, DEVM facie ad faciem intuentes, sempiternum perfruentur.

Laudes DEO Virginique Matri
MARIAE.

•S(0)S•

JNGENVO, ET ERV-
DITO D. LVCAE FANINI, ACADE-
micarum concertationum propugnatori
amoris ergo offerunt

NOBILES ET INGENVI IVVENES

V Idit, & inuidit fabricator Iuppiter orbis,
Quæ spacioſus habet mundus, habere theſes.
Anne Syracuſius rurſum mihi ponitur orbis?
Aut opus empyreæ luditur artis ait?

WOLFGANGVS JÖCHLINGER
Nobilis Græcensis, Condisci-
pulus.

P Ergama quod ferro procumbere iussit Achilles,
Claro Virtutis nomine magnus erat.
Marte Sophistarum quod propugnacula vellas;
Claro Virtutis nomine magnus eris.

Blasius Jöchlinder Viennensis
Nobilis, Philosophiae Bacca-
laureus.



